Q. D. B. V.

DISSERTATIO MEDICA

DE

SALUBRI FRIGIDO POTU

QUAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

GUILIELMO HENRICO

DUCE SAXONIÆ, IULIACI, CLIVIÆ MONTIUM, ANGARIÆ, WESTPHALIÆ ET RELIQUA

SUB PRÆSIDIO

IOANNIS IACOBI FICKII

PHILOSOPHIÆ ET MED. DOCT. PROFESSORIS PUBLICI ET ARCHIATRI SAXONICI

DN. PATRONI, FAUTORIS ET PRÆCEPTORIS SUI SUMMO HONORIS CULTU DEVENERANDI

PLACIDÆ PHILIATRORUM VENTILATIONI

EXPONIT

A. & R.

MICHAEL MARTINUS HENTSCHEL

LUBECENS. MED. STUD.

A. O. R. MDCCXVIII. D. XXIX. DECEMBRIS.

IENÆ, LITERIS FICKELSCHERRIANIS.

VIRO

Illustri, Magnifico, Consultissimo

DOMINO

DN. ADOLPHO MATTHÆO RODDE

S. R. I. Illustris atque Liberæ Reipublicæ Lubecensis Consuli Dirigenti & Primario gravissimo meritissimoque

Nec non

VIRO

Prænobilissimo, Consultissimo, Excellentissimo

DOMINO

DN. ACHILLI DANIELI LEOPOLD

ICto Consummatissimo, & Comiti Palatino Cæsareo

Vt &

VIRO

Admodum Reverendo, clarissimo atque doctissimo

DOMINO

DN. IOANNI GEORGIO REINESIO

Lub. ad St. Iacob. Archidiacono vigilantissimo

Itemque

VIRO

Praenobilissimo, consultissimo, amplissimo, prudentissimo

DOMINO

DN. IOACHIMO LOTHARIO CARSTENS

Reipubl. Lubecens. Senatori Gravissimo meritissimoque

Patronis atque Fautoribus suis Dissertationem hanc Academicam submisse dat, dicat, consecrat Illustrium nominum perpetuus cliens

MICHAEL MARTINUS HENTSCHEL.



I. N. I.

INclarescunt hodie apud supremæ & mediæ sortis homines (infimi enim jusculis contenti suis feliciter & pulchrius valent) ab orientalibus populis ad nos provecti calidi potus, & in ore sunt omnium, infusum thee & coffe decoctum, ad quosvis indiscriminatim usus, nullo personarum quoad ætates, temperamenta & affectus, vel anni temporum habito respectu, ducti, ideo sine notabili damno, quod sani voluptatisque causa, aut ad morbos saltim avertendos, plerique illos hauriant, tunc tempore desistentes, quam primum adversos sibi reperiunt, minatos abusu suo cachexiam multaque alia, a viscerum atonia, quam relaxans mollioris aquæ calidæ virtus, atque corporum mollitiem facit, orta mala. Priscos imitati potius Germanorum mores Nostri, a teneris asuescant frigido potui, obtenturi sic firmam in robustis corporibus sanitatem, ferendis externis aeris & aliis injuriis parem. De quo quicquid sumus meditati, in medium proferemus, Academici speciminis loco. Faxit Deus feliciter!

  
  

§. I.



Auca de frigore proferre licitum esto, atque commemorare, illud formaliter spectatum in re frigefacta esse meram caloris, hoc est, agitationis particularum subtilium variæ, celeris, vehementis & in sese reflexæ imminutionem ac privationem, in frigefaciente verò positivum quid, à cujus accessione & admixtione illa privatio & quies provenit, quod sæpe fit igniculorum collectorum ab invicem separatione & dissipatione. Mirandi frigoris effectus, quos hieme observare datur, vel legere apud naturæ curiosos, non amplius dubitare sinunt, illud constituere motum particularum subtilium, acutarum, rigidiorum & oblongarum vehementem, potissimum rectilinearem. Non vitra solum penetrat, sed corporum etiam durissimorum, metallicorum minutissimos poros. Rigiditatem præcipue ostendunt fissuræ atque partium separationes, nec non aquarum conglaciatio & pomorum regelatio, duritiesque concretorum corporum. De motus autem vehementiâ testantur, quod gelu forti rumpantur ligna, diffringantur saxa & ferrei clavi, in ædium tectis etiam maximo strepitu e suis loculis explosi, atque chalybei balistarum arcus fiant fragiles, & contrahantur metalla: venti omnes, quo

va-

validiores, eò frigidiores, ut & per anguſtias portarum ac canales arctiores miſſi, quorum tunc citatior & impetuoſior eſt agitatio: molles ac flexiles aquarum particulæ priventur motu omni, & rigeſcant in durum glaciei corpus, majorem affectans locum, quaſi majorem aquæ fuerint adeptæ molem, cum tamen præ nimio frigore hæ tantum ferè exhalent, quantum æſtivis ardoribus.

§. II.

Minus interim ſumus ſolliciti, an ſubſtantia illa frigefaciens atomis componatur cubicis, tetraedricis, atque pyramidalibus; vel ad ſalis cujusdam nitroſi aut ammoniacalis, quibus aquoſa fluida frigeſiunt & conglaciantur, naturam accedat; vel peculiaris ſit ſpiritus, aut materia cœleſtis, ætherea, cum in ea vis movendi vel minor eſt, tum ob paucitatem, tum ob tarditatem ejus; vel major, non quidem pro motu vario & intrinſeco, ſed extrorſum directa, in rectum tendens: vel halitus exiſtant peculiares, ex terrâ erumpentes, aut e mediâ aëris regione, vel plagâ ſeptentrionali per ventos ad nos delati boreales. Certum hoc tamen eſt per experientiam, frigus omnibus in univerſum competere atque inexiſtere particulis, aëreis, terreis, aqueis, ſalinis, ſulphureis, (exceptis igneis) & quæ hinc miſcentur corporibus, ab inde actu frigidis, quorum actio eſt ex contactu, quo minorem motum, aut quietem faciunt in minimis aliorum particulis. Hinc inprimis abſentia cauſarum mouentium, perinde ac materiæ craſſities & denſitas, frigus promovent. Sane ea omnia, quæ in nobis quoque tardioris motus vel quietis cauſa, ea parte, qua ſentimus, faciunt frigus; ut inde inferre

liceat,

liceat, ubi noſtrum corpus valde friget, a cauſa interna vel externa, humores ac ſpiritus eſſe minus mobiles, corrugari fibras & condenſari carnes atque indurari, totumque corpus ſæpe rigere & velut immobile fieri, & ſi omnis in eo ceſſet motus fluidorum, mortem inſequi.

§. III.

Iuvabit pariter hic meminiſſe diſtinctionis frigidorum in actu & potentia talia. Potentia ſunt frigida, quæ vim refrigerandi latentem habent, uti ſunt ſem. 4. frig., hordeum, ſerum lactis, ſpiritus vitrioli, nitrum, ſal Ammoniacum, Saturni ſaccharum: manifeſtam vero actu talia, ut aqua frigida, hybernus aër, nix & glacies. Frigidum potentia interdum actu calidum eſſe poteſt, & tamen diminuere calorem in corpore vivente, ut ſerum lactis calidum, acidulæ calefactæ, quod potentius facit, ſi actu quoque frigidum fuerit, ut acidulæ, quales e fonte ſcaturiunt, & aliæ aquæ. Conſimiliter frigidum actu, quandoque calidum potentia eſſe poteſt, ut cereviſia atque vinum. In uſu quoque eſt, ut frigidum potentia dicatur, quando materia in corpore noſtro calida, caloris cauſa, diſſipatur, eius expiratione, ut ſuperſint tantum particulæ, quæ tam celeriter non moventur: vel & notat nullam, aut minorem incaleſcendi aptitudinem, qua calor actualis ſi non extingui, ſaltem minui debet: item, quod caloris externi & adventitii minus commodum objectum eſt, ſubſtantia ſua.

§. IV.

Acturi jam de frigore potus, per hunc intelligi volumus fluidum liquoroſum, aut humorem, ſitis temperandæ

&

& vitæ conservandæ causa, a natura desideratum, & ab hominibus sanis & ægris assumi, præcipue in victu, solitum, omne scilicet vini & cerevisiæ genus, loram, seu aquam vinaceis maceratam, hydromel, lac & ejus serum, aquam & similia, siccitati, a seri tum defectu, potissimum a calore vitali, hinc & assumtorum, aut ciborum ariditate orto; tum viscedine, qualem quoque acida scorbutica inferunt salia; ut & salibus salsis, biliosis, quibus fauces atque ventriculus specifico stimulo, plane alio, quam famelicus est, molestantur, recte imputatur illa. Atque eo gravius lacessere hæ causæ naturalis sedis sitis nervositates solent, quo major est corporis æstus, plus seri in toto consumens, & inviscans, saliaque biliosa magis efferans, & producens in corpore largiora. Ipsis his corrigendis aut tollendis non quidem sufficere videtur potulentorum humiditas, quanquam siccitati unice destinetur, a qua diluente salium etiam spicula infringuntur & torpescunt, quippe divisa; itemque sitientes quandoque a balneo aquæ dulcis tepido, aut tali pediluvio, citius consecuti fuerint auxilium, quam a copioso potu frigido, qui in febribus, intermittentibus plerumque, perinde ac alias aër frigidus & tempestuosus, pleno ore haustus, sitim excitasse observatus est; sed quoque frigiditas naturæ instinctu exposcitur, quæ humidum efficacius operari facit potulentorum, atque nativum illud corporis densando melius tutatur, & vitalem calorem, actionum omnium moderatorem, intra debitos coërcet cancellos, quod sanitati æque ac longævitati conducit. Quo modo non a præjudicio, neque a consuetudine esse potest, quod sitientes frigidum magis appetant.

§. V.

Ex dictis fluit, sitim esse actionem maxime naturalem, fame urgentiorem, desiderium humidi & frigidi, potus scilicet, quo cibi emolliuntur ac miscentur, ut resolvi & fæces separari melius possint. Sanguis, eo ipso, maxime quoad serum, juxta ac lympha in toto restauratur, & corpori omnes lymphæ utilitates, quarum maxima, esse menstruum universale, & principium vitæ proxime conservativum, omnes digestiones & secretiones promovens aut constituens, ingeruntur. Diluit ille, humectat, attenuat, temperat; vel & nutrit, per accidens, tanquam substantiæ nutritiæ vehiculum, ceu aqua facit; aut per se, alimentosus, ut cerevisia, vinum, hydromel, qui alimentares habent & spirituosas sulphureas particulas, ob quas aqua minus sunt frigidi, potentia calidi. Hinc *Hippocr. Lib. de flatibus*, potus una cum cibo & aëre hominum corpora nutrit, & facilius nutrit ac cibus, *aph. II. sect. 2.* atque ventriculum refrigerat, *de nat. puer.* §. 34. & potione, quicquid substantiæ humidioris effluxit, restituimus, *Galenus, de tuenda sanit. L. I. c. 2.* Naturale est, potione æstuantem stomachum refrigerari, frigentem calefieri. *Celsus L. V. c. 3. p. 28.* & qui sitiunt, abstineant cibis & laboribus, & vinum bibant aquosum, quam frigidissimum, *Hipp. de diæta salubri.*

§. VI.

Si anni tempora & quadras consideramus, ita sapientissime a natura natutante provisum est, ut velut propriæ eorum tempestates ac constitutiones, alteræ alteras contemperent, oppositione ac vicissitudine non repentina,

na, ſed ſucceſſiva ac graduali, quam veris & autumni ſiſtunt qualitates conſuetæ interpoſitæ: quod pro ſalute eſt viventium cunctorum in mundo. Quis enim citra valetudinis damnum, ſub perpetua hieme degere poſſet, vel etiam æſtate? Ut enim ab ejus gelu nimia ſanguinis denſitas & viſcedo, oppido morboſa, certo certius induceretur; ita hujus calore immoderata rarefactio humorum atque diſſolutio, morborum feraciſſima, oriretur. Quare alternatione opus erat hiemis cum æſtate, ad craſin humorum atque ſpirituum debitam adeo neceſſaria, facta ab utriusque temporis effectu eorum contemperatione & moderatione. Haud diſpari modo hominum nativus calor frigido eſt contemperandus potu, ne humores ultra ſuam efferantur craſin exardeſcentes, nimisque rarefacti. Magnæ multæque ſunt hiemis redundantes in corpus noſtrum utilitates; in ea enim ventres ab *Hippocr. I. Aph. 15*, creduntur calidiſſimi & ſomni longiſſimi eſſe, ut ea propter plura ſint exhibenda alimenta, quæ tunc melius concoquimus, & plura appetimus, ſanguine & ſpiritu ad profundum corporis retrocedentibus, juxta *Galenum, Comment. I. Aph. 15.* adeo ut etiam corpora magis nutriantur, augeantur carne, plus optimi ſanguinis & ſeri, ob digeſtiones vigoratas, cumuletur; unde urinæ multitudo & plus ſedimenti, quam æſtate; denſetur ille, biliſque copia imminuatur. Juxta *Celſum, L. I. C. 9. p. 42.* frigus prodeſt juvenibus & omnibus plenis: erectior mens eſt, & melius concoquitur. Aquilo ſanum corpus ſpiſſat, & mobilius atque expeditius reddit, *Lib. II. c. 1.* Robuſta, pertinacia & longæva alit corpora denſando, & humorum reſolutionem prohibendo. Juvat cor temperamento calidius,

 mor-

morbosque calidos. ib. In genere, condensat, constipat, constringit, humores coagulat, repellit, fluentes sistit & adstringit.

§. VII.

Haud minoris momenti commoda erunt actu frigidi potus, qui est omnium vetustissimus, primo mundi tempore, cum aqua potaretur, sumi solitus, & adhuc communissimus; & quia eo delectamur magis, quam calido, naturalissimus. Quia frigus semper constringit, stomachus ex appulsu ferocientis gelu constrictionem validiorem suscipere solet. Atque hæc est causa, cur ventriculus hiberno tempore rectius digerat, quia tunc accuratius clauditur orificium ventriculi, atque sic tam caloris, quam fermenti virtus magis unita servari potest. *Langius*, *Pathol. animal. cap. 39.* Plus ultra digreditur *Duncanus Liddelius*, *art. Med. L. V. c. 20.* inquiens: In sanis corporibus potus actu frigidior calido præferendus, potissimum in illis, qui calidum spirant; ut enim calor in corpore, talis est respirationis conditio, atque sitis, & talis eligendus est potus. Sitim melius extinguit, appetitum excitat, viscera roborat, nativum calorem auget. Quare sanis porrigendus est, biliosis, sanguineis, potissimum juvenibus, robustis, exercitatis, sedata prius turbatione corporis, ac calidis temporibus; parcius & moderatius senibus, pueris, debilibus, & qui viscera habent imbecillia, delicatis, otiosis, gravidis, ac etiam frigidissimis temporibus, non inflammatione alicujus visceris aut obstructione laborantibus; cavendo nimietatem, i. e. ne fiat consertim & subito, sed partitim, initio parum, plus successive. Suademus maxime æstate fervida potum moderate

derate frigidum, qualis e cella ſubterranea & puteis profundiſſimis, ut æſtus corporis, vires dejiciens, temperetur, & caloris nativi languentis exolutio præpediatur, (ſanguis enim ſi ſit aliquanto frigidior, minus eſt diſſipabilis, ut *Verulamius, Op. p.539.*) denique, ut humiditas, quæ tunc ob poros hiantes, copioſius exhauritur, & exhalat, recuperetur, bilisque, æſtivi caloris ſoboles, diluatur. *Sorbait, Iſag. Med. P. IV. c.7. Op. p.98.* Quid quod frigidis potibus, qui in ſanis corporibus neceſſarii, & omnibus aliis utiliores ſunt, membra noſtri corporis diutius perſiſtant in naturali diſpoſitione, & prohibeatur p. n. effluxus, ſpiritus quoque minori diſpendio in corpus diſtribuantur: quo fit, ut principalia omnia membra temperentur, & omnes actiones reddantur robuſtiores. *Mercatus, Op. Tom. II. L. I. p. 42.*

§. VIII.

Ad alterandum vero conducit, ſi bilioſi & acres humores in ventriculo, aut circa eum ſtabulantur, vel in eum irruunt, vel alias calorem ipſi inducendo ſitim excitant: atque tunc eo magis, ſi illis fuerit qualitatibus præditus, ut acrimoniam humorum poſſit obtundere, ceu facit tenuis. *Vogler, Diat. p.168.* Nec male agitur, quando in ſtomacho fervidiori æſtivo tempore potiones purgantes propinantur frigide, ſicut cathartica etiam gratiora, non æque nauſeoſa, & ventriculum ſubvertentia, quæ ſumuntur frigida. *Primeroſius, de vulgi erroribus, L.IV. c.14.* Inſigniſſimum præbent exemplum Siculi, præſervati nivis uſu a febribus peſtilentibus, quas aër ferventiſſimus ac tepidiſſimæ aquæ potæ, menſibus æſtivis, produxerunt.

Pisanelli, de escul. potul, facult. p.162. Nivem autem ad potum quotidianum refrigerandum usurpabant, alii glaciem, frigida hæc vel conjiciendo in pocula æstuantium, vel his circumponendo, vocaturque communiter potus glaciatus, quo æstus vehementiam, in locis maxime calentibus, per æstatem ad ardentes & malignas febres disponentem, ne hæ tam facile insequantur & lethales sint, corrigunt, dissolutionem aut exhaustum humorum, & veluti accensionem ab intenso fervore impediendo. Quem morem etiam nunc imitantur Germani in Magnatum aulis, magis tamen voluptatis, quam necessitatis gratia. Sunt vero, qui summo dissuadent studio usum ejusmodi, multas ob noxas ab eo perpetratas. In dirimenda hac controversia, quo inoffenso procedere queamus pede, distinguere oportet potum inter illum glaciei (intra eum missæ liquatæque plus minus) & conglaciatum (rursusque solutum, ut cum aquis fieri solet) vel a glacie itemque nive extra positis refrigeratum. Illum oppido noxium, hunc vero salutarem deprædicant autores.

§. IX.

Multum interest, ut dicamus, cujus naturæ sint particulæ frigorificæ. Haud dubie subtiles sunt, acutæ & rigidæ, si non ipsæ salinæ, ut plerique reputant, & volabiles esse, de mundi spiritu, in hieme minoris saltem motus, hujus tamen prosapiæ æmulæ, cum a salibus, ammoniaco & nitro, solutis insignis promanet refrigerationis effectus, qualem experimenta 1. 2. 3. 6. & 7. *Boylei, in Observ. circa qualit. originem* confirmant; nec non *Kircherus, in mundo subterr. T. I. L. VI, c. 2.* per quoditianam corroborat

borat experientiam, quando Romæ æstivo tempore, affuso phialæ vitreæ aqua refertæ, aut intra pelvim, sale nitri, aqua intra exiguum temporis spatium tantum frigoris incrementum sumere cernitur, ut tota in glaciem, supra omnem gradum frigiditatis, abeat. Iis prorsus turgida est glacies atque nix, frigus habentia concentratissimum, quas cum refrigerationis & conglaciationis effectu in liquores, suæ virtuti expositos, sine dubio derivant, & poma regelata suæ inhærentes superficiei oculis exhibent. Ad ulteriorem hujus theseos probationem inserviet porro, quod in aqua conglaciata, soluta rursus calore & evaporata, plus salis reperiatur, quam in alia: Cyathus, cui sal, nix & glacies sunt indita, per agitationem mixta, pelvi aquam continenti immissus, hanc sibi proximam congelet, prout mixtura liquescit; & nix in lance, cui cyathus aqua plenus imponitur, prout prope ignem liquescit, ita aquam faciat concrescere. *Zodiacus Med. Gall. ann. II. Decembr.* Multum etiam nitri habere aquam nivis, & plus quam fontana, statuit *Ramazzinus, Oper. p. 393.* quæ nitrosæ si non eædem cum frigorificis sunt, his cum & per se nivem efficient frigidam, & hanc diversæ adhuc indolis effluvia, in aëra, ubi generatur, e tellure exhalata, salino sulphurea constituunt, juxta ac terrenæ, aliæque variæ crassæ, sub colliquatione ejus in aquam, & hujus super terram decursu susceptæ, a quibus hæc ponderosa ac turbida efficitur.

§. X.

His pensitatis asserere haud dubitamus, æstatis tempore refrigeratos a glacie vel nive potus, non aliter se habere, quam hiemali, qui a frigido aëre, conglaciandi

vim,

vim, adeoque frigorificas cum nive aut glacie easdem particulas possidente, refrigeratus est. Ut autem rigente bruma in nostro quoque climate tot hominum myriades in victu quotidiano potulenta hauriunt insigniter frigida, citra noxam; ita potiones glacie aut nive refrigeratæ, æstate, ex sua natura haud magis erunt noxiæ, modo necessaria observentur requisita; quod nisi fit, per accidens erunt damnosæ. Quo enim sub syrio, & præcipue in calidis atque torridis regionibus, corpora potissimum virorum, sanguineorum, biliosorum, atrabilariorum sunt æstuosiora, eo potentiori opus habent refrigerio & attemperatione, ne diffluant ac dissipentur vitalia fluida, & velut accensa in crasi sua destruantur, cum sanitatis aut vitæ dispendio. Nec facile metuendum, vitalis circuli sanguinis sufflamen in toto, aut parte quadam inflammatorium, quippe cui ipse resistit eximius in corpore æstus, & vigoratus a frigore viscerum tonus, qui citæ potus, perinde ac particulæ hujus, si fermentatus fuerit, spirituosæ, distributioni litat. Et quia pariter intentato a frigore stupori & indurationi viscera firma resistunt, glaciatus potus robustis, sanis & juvenibus, in pastu, convenientius exhibetur, quam debilibus, valetudinariis, senibus atque pueris. Robusto tali corpore gaudent Alpium Helveticarum incolæ, qui in febribus biliosis, diarrhœis, dysenteriis, scribuntur bibere glaciem ipsam, quæ perennando crystallinam induit duritiem, in solo natali nunquam solubilem, *Ramazzinus Oper. p.580.* Mitius actum cum nobili Hispano, cui colica acerbe conflictato, cum siti inextinguibili, linguæ scabritie, & æstu in infimo ventre, aquam multam, nive refrigeratam, bibendam exhibebat *Ballonius*;

in

in somnum est prolapsus, ex quo excitatus miram bilis flavæ copiam evacuavit, & liber evasit. *paradigm. 181.* Omnis res jam erit in vado, si modo frigoris exuperantiam & diuturnitatem evitet laudata potorum cohors; quam quoque emendabit paulatina deglutitione: imo pitissando a periculo immunes se sistere norunt, licet impense calentes corpore, vel ab exercitio immoderato sudantes, quod ipsis repentina minatur mutatio, juxta *Hipp. 2. Aph. 17.* omne nimium naturæ inimicum; sed quod paulatim fit, tutum est.

§. XI.

A summo & intensissimo frigore, quod in nive & glacie, harumque aquis versatur, multis gradibus superans frigus nativum aquarum puteorum & fontium, an simul a nitroso spiritu vel sale, aut acutis rigidisque frigorificis particulis & spiculis, aliisque effluviis & vaporibus? & quod in conglaciando leves, dulces ac splendidæ, ex aqua expressæ sunt particulæ, teste *Hippocr. de aëre, aquis & locis*, & ingens ipsi cruditas atque ponderositas relicta, resultare debet, aquam nivis & glaciei esse pravam & insaluberrimam. Hoc sensu frigidum, veluti nix & glacies, dicitur pectori inimicum, tusses movere, venarum rupturas & destillationes efficere, *Hippocr. V. Aph. 24.* Ejusmodi aquæ dicuntur *Gellio L. XIX. 5.* potæ nimium, tabem & morbos sensim atque in diem longam visceribus inseminare, concoctionem impedire, urinam cohibere, pectus, pulmonem ac ventriculum male habere, convulsiones, laterum dolores & flatus generare, secundum *Matthiolum, Comment. in Lib. Diosc. 5. c. 14.* renales dolores inferre,

Joubert. Decad. I. parodox. 5. parere viſcerum obſtructiones, calculum, febres malignas &c. ut *Camerarius, memorab. Med. Cent. V. 49.* lithiaſin, ſtranguriam, dolores renum: nam talis aqua frigus ſuum diutiſſime retinet, in præcordiis hæret, hinc in flatus mutatur, digeſtionem impedit, obſtructiones lienis, jecoris cauſatur. *Sorbait, Oper. p. 98.* Faciunt in glandulis, vaſis lymphaticis & ſanguineis refrigeratione obſtructiones, inferunt bronchocelen frequenti potu, juxta *Celſum L. I. c. 9.* læduntque in pectore nervoſas partes. Cum quædam puellæ glaciem, delicii gratia deglutiſſent, torminibus, colicis doloribus, dyſenteriis & obſtructionibus, fato ſunt functæ, apud *Borellum Obſ. XI. Cent. III.* Similiter periit Gonzaga, Mantuanorum Princeps, ut narrat *Bruyerin. de re cibaria, Cap. 9.* Valetudinarius, diu potu, glacie refrigerato, uſus hepar habuit prorſus ambuſtum. *Bonetus, Anat. pract. L. IV. ſect. 10. Obſ. 2. p. 457.*

§. XII.

Mihi igitur vero ſimilius videtur, particulas rigidas, concretionis cauſam, in liquoris ſolutione non ſtatim omnes evaneſcere, aut rigorem deponere. Ideoque ingeſtæ tales aquæ fauces lædunt & ſpiritibus, viſcerum incolis, torporem inducendo, eorum eutoniam nimio uſu labefactant, ut & coquendi facultatem. *Mundt, Phyſic. de potu Cap. I. p. 421.* Non tamen inde deterrentur, teſte *Loſelio, de Podagra S. 2. Membr. 2. art. 1,* Hungari ruſtici, qui meſſis tempore vinum glacie frigorifica temperare, vel ſolis æſtu urgente, glaciem ipſam, in locis ſubterraneis aſſervatam & regelatam, ſitibundi bibre & ingurgitare ſolent. Fere majus eſt, quod ſine incommodo Princeps quidam

au-

autumni & hyemis turbidis tempestatibus in venatione cerevisiam frigidam, & tantum non gelu constrictam, stiriisque labiis adhærentibus, biberit: alius sub bruma non alium potum, in specie cerevisiam sumserit, ac frigori geluque expositum, hinc inde circumvolitantibus nivium floccis. *Miscell. A. N. C. Dec. II. anno 9. Obs. 200.* Hoc sine dubio factum est per consuetudinem, cujus magna vis est. Assuefacturus vero observet gradus, & sensim ad habitum transeat. Qualis vero in genere in hoc refrigerato potu requiratur frigiditas, certo determinare nequimus, cum respectus sit individuorum habendus quoad ætatem, sexum, temperamentum, habitum corporis, sanitatis statum, &c. ut & regionum & anni temporis. Talis vulgo præcipitur, quæ in aqua existit fontana; vel & potibus e cella subterranea profundiori adductis. Quilibet tamen sit sui ipsius medicus, & experiri in se debet, quid & quomodo prosit, aut obsit sibi. Si a frigido potu præposterum commissum fuit refrigerium, susceptus mox corporis motus, & excitatus calor, ad sudoris usque vel urinæ proventum, haustusque vini spiritus, illud corrigent.

§. XIII.

Jam tandem convertimur ad potum aquæ frigidæ, non quidem viribus imbutæ medicis, ob principia actiua, ceu thermæ & acidulæ, aliique medicati fontes sunt, sed simplicis, elementaris. Illo usi sunt homines ante diluvium, & populus Israëliticus per annos 40. in deserto, & adhuc hominum plurimi, pauperiores, & qui alia potuum genera respuunt. Defessos ac sitientes delectat maxime, homines in inveniendis rebus efficit sagaces, longævos,

ſanos, atque pinguiores & bono corporis habitu, animo tranquillos, aptos etiam ad liberorum procreationem. Longævitatem exemplis probat *Cardanus, lib. de aqua, p.17.* viri Indi, qui trecentos, & Hiſpani, qui ultra centum vixerat annos. Novit hydropotas, & anum 90. annorum, acutiſſimi ſemper viſus, & liberos ejus, ſaniſſimos ſemper atque pingues; item, duas ancillas, majus robur ab aqua, quam cereviſia habentes, *Riedlinus, lin. medic. ann. II. p. 601.* Aquæ uſus pariter eſt ampliſſimus, humida ſua & frigida natura; activiſſimum noſtro in corpore alterando principium eſt, licet paſſivum dicatur, ſalis & ſulphuris reſpectu.

§. XIV.

De qualitatibus ejus notetur; ob humiditatem, & quod ſerum auget, omne ſiccum in corpore humectat, emollit, laxat, lubricat, fibras, poros, membranas, vias; diluit ſalia quævis & ſolvit, edulcat & actuat, reſolvit craſſamenta, abſtergit & eluit ſordes, aperit, fluidum reddit; educit, alvi laxativa, diuretica & diaphoretica. Frigiditate ſua calorem temperat, obtundit ſulphur ſanguinis, ejusque rarefactionem, neve ſpiritus quaſi accendantur, impedit; incraſſat & denſat fluida, corrugat fibras, conſtringit membranas, conſtipat poros, adſtringit & repellit; calorem concentrat & auget, licet igni adverſetur. Vid. *Illuſtr. Wedelius, theor. ſapor.* Viget autem tanta inter aquam & ignem contrarietas, non ob frigus, ſiquidem calida aqua eundem pariter extinguit, ſed quia aqua particulis conſtat oblongis, flexibilibus & ramis deſtitutis, unde neque ſic aditum prohibere poſſunt globulis ſecundi elementi, ut partes olei, neque aliam materiam, qua obrui

posset spiritus; sic excutere vel repellere, ut faciunt solidiora corpuscula in salsis & acidis. *Joh. Raei, Clav. Philos. nat. p. 648.* Vim ejus nutritivam studio omittimus, cum tantillum habeat nutritii sulphuris, ceu jam tum *Celsus, L. II. c. 18.* agnovit, & omnium potionum imbecillissimam pronuntiavit aquam; qua sola pisces, frigidiora animalia, certissimis *Rondeletii, L. II. de Piscibus, Cap. 12.* experimentis, in magnam molem excrescunt: & teste *Alberto M. L. VII. de Animalibus, cap. 3.* melancholicus quidam per plures septimanas vitam sustentavit. Si etiam nutritiva materia prorsus destitueretur, poterit tamen inter prandendum sumta cibos satis emollire ac macerare, ut resolvi ac dein digeri melius queant, simul vehiculum præbere chylo, & demum corporis nutrimento.

§. XV.

Quidni diceremus, eam esse magnæ efficaciæ in vita sanitateque conservanda, & debellandis morbis perquam multis. Frigidæ potus, inquit *Pisanelli, de escul. & potulent. facultatibus p. 161.* est necessarius humano generi, (1) ad caloris nativi, neve dissipetur, contemperationem; hinc cum voluptate ferimur in illum, naturæ stimulo, quam quoque ille in nobis excitat, (2) ut corpus humectet & humidum restituat: quod frigus humido junctum potentius efficit, dum humorem e vestigio per universum corpus ita distribuit, ut singulæ partes ejus usum experiantur. Scilicet, frigidæ potus omnes facultates, ad functiones suas vegetius obeundas excitat, viscera corroborat, ut humores pravos ad circumferentiam propulsent; etiam principalia membra contra omnem cor-

ruptionis vim vigorabit. Hæc Ille. Aqua pura in potu frequenter usurpata reddit corporis succos minus spumosos, cui, si propter spiritus hebetudinem (qui procul dubio in aqua est parum penetrativus) admisceatur aliquid nitri, utile esse existimat, *Baco de Verolamio Oper. p. 541.* Ea igitur indigent per naturam vel ætatem calidi, biliosi, sanguinei, carnosi, sani, qui utuntur exercitio valido, ac æstate iter faciunt, calidam regionem incolentes, quorum ventres duri sunt & idonei adhuc, ut amburantur. *Hippocr. de aëre, aquis & loc.* Neque pueri sunt omnino prohibendi a potu aquæ frigidæ, sed multoties bibant super cibum, & horis calidis. *Galenus de tuenda sanitate, l. 2.*

§. XVI.

Ast aquarum selectu est opus, quæ utplurimum de minera, seu, soli, ubi nascitur & per quod transit, natura & contentis participant, & inde differentias acquirunt. Optima est fontana, quæ nullo alieno colore, odore & sapore est imbuta, sed pura, levis, limpida; quæ cito calescit, & vicissim cito refrigeratur, *Dioscor. l. V. cap. 8.* non facile putrescit, hieme est calida, æstate vero frigida, ex sublimibus locis & terreis collibus ac petris profluens, versus orientem, fluxu suo soli ac ventis exposita, facile carnes & alia omnia percoquens; quæ præcordia quoque celeriter transit, nec gravat ventriculum & hypochondria, adeoque concoctu & distributu, itemque per sudores & urinas evacuatu, facilis; cujus potores egregie colorati sunt. Quo purior, eo sinceriores generantur corporis succi, quocirca ab hujus salubritate magna pars sanitatis pendet. Talis aqua corpora mutandi vim summam habet.

Ab *Hippocr. 6. Epid. 18.* dicitur tum aquæ potio, tum vigilia voraces homines efficere: optimo jure, prout ratio & experientia confirmant. De hydropota quodam, *Caspar Asellius, de venis lact. cap. 25.* loquitur, qui facile duos capos uno prandio conficeret, nec sine pulmento, casei quadra, &c. & locum tamen relinqueret, ubi reliquiarum reliquias conderet. Observamus idem apud acidularum aliorumque fontium potores. In Thuringiæ pago, Bebra, aliquot abhinc milliaribus dissito, purissima & egregie frigida scaturit aqua, ad quas methodice usurpandas potando ac balneando, qui confluunt sani & ægri, non satis laudare possunt appetitus vigorem, qualem excitat. Æque bonus est, multo condecorandus encomio, hic Jenæ ante Lœberportam, fons aquæ dulcis, quem multis in casibus reperimus saluberrimum.

§. XVII.

Adire jam constitutum est ægritudines, quibus frigida est auxilio. Unde passim eam laudari videas ab *Hippocrate, ut 2. de morb. 36.* in febre biliosa; *populari, 5. 28.* in doloribus ventris; refertque *Plinius, Hist. nat. l. XX. c. 3.* quomodo Asclepiades frigida in morbis data nomen sibi acquisiverit. Inprimis multis in morbis, a bile ortis atque calidis acribus humoribus convenit, quos diluere, temperare & evacuare, humectareque totum, ceu universale remedium solet; speciatim in mania, itemque furore & melancholia uterina, juxta *Riverium, prax. med. L. 15. c. 5. & p. 227.* Vir quidam delira mente, torvo oculorum intuitu, & violento corporis impetu, præterea taciturnus, mire gesticulans, vigil, cibum potumque respuens,

adſtantium oculis truculentam ſuam ægritudinem ingerebat, quam præmiſſis univerſalibus largo frigidæ potu, in quo arcani duplicati inſignis quantitas erat ſoluta, lenire, & tandem acidulis naturalibus prorſus depellere, erat integrum. Plane ſingulare eſt, quod *Heurnius, Comment. in Hippocr. Aphor. 6. L. II.* memorat; cum phreneticus potare nullo modo vellet, quidam ab adſtantibus vi os ejus aperiebat, ac aquæ plenas amphoras infundebat. Hic, quamvis eam aquam ad trabes uſque fere exſpueret, maximo impetu, plurimam tamen aquam nolens bibebat. Victus frigore aquæ algidiſſimæ, dormire incepit: mox ſudor erupit, ita vi vitam retinuit. Facilis etiam eſt medela potus frigidæ, quando calx viva læſit acrimonia ſua corroſiva fauces, & oculos mordet, & vocem aſperat. *Ramazzinus, Oper. p. 510.* Sine dubio copioſus aquæ potus ſomnum provocat, humectando, cum *Rolfincio, Epit. affectuum particul. p. 79.* curat ſingultum, diluendo ventriculi cruditates, *p. 208.* & ſupprimit menſes, refrigerando. *p. 338.* Oculis inſigniter grata deprehenditur, adeo ut non ſolum acutius videant aquæ potores, quod tanquam problema ab Ariſtotele eſt propoſitum, ut *Scholzius Conſil. med. p. 169. 18.* ſed quoque epidemicæ aliquando contulerit ophthalmiæ, ſecundum *Hippocr. Sponii nov. Aph. p. 332.* tanquam refrigerans, quæ ſanguinem temperet atque minuat. Videtur e contra vigorando calorem agere, quæ conſilio *Celſi L. IV. c. 3. p. 204.* non ſolum bibitur, ſed etiam capiti ſæpe ſuperfunditur frigida, in reſolutione linguæ. Non abſurdum, quod ſi dicamus, augendo ſerum & urinæ mictum, atque diluendo, aquam frigidam, ſingulis noctibus bibitam, a graviſſimis calculi cruciatibus liberaſſe

berasse quendam, qui mane, ne frigidæ potio noceret, piperis aliquot grana integra assumebat; *Scholzius Consil.* p. 407. 4. curasse pariter ischuriam, teste *Riedlino, Lin. med. ann. VII. p. 738.* & diabetem largis haustibus, cum *Trincavellio, in Enchir. pract. p. 707.* emendata sic seri salsedine aut rarefactione.

§. XVIII.

Potissimum vero primis auxiliatur viis, ad quas viribus defertur integris. Aquæ potu acidas ventriculi cruditates temperare in viro quodam melancholico, non dubitavit *Lossius, consil. Med. 39.* Singultum fere omnem sanat, aliquem per se, & aliquem per accidens, inprimis a causa ortum calida, post evacuationem, elect. diarrhodon, juxta *Paschalium, meth. curandi L. I. c. 32. p. 255.* quin imo levat eum frigida solum in ore detenta. *Hollerius, Comment. in Aph. Hipp. p. 338. b.* Nec minus utilis est, in spasmis a materia subtili. Hinc si spasmodicæ passiones in stomachis, hypochondriis, utero, pendeant, a succis ad subtile & sulphureum, acre, exaltatis, exhibentur aquea. *Lancisius, de mort. subitan. p. 137.* Juvenculæ biliosæ tali sæpe affliguntur hysterica passione. Post cibum motibus convulsivis corripiebatur virgo religiosa, quæ cum loco vini aquam in prandio biberet, libera ab iis facta, correctis salsis & fermentativis humoribus. *Meibomius, Diss. de potu calid.*

§. XIX.

Ejusdem naturæ est colica, cujus acerbissimis doloribus interdum remedio est aqua frigida, inprimis urgente siti. *Amatus, Lusit. Cent. 7. curat. 21.* perinde ac in vomitu & nausea ab intemperie calida, *a Castro, de Me-*

dic. L. II. c. 11. nec non choleram compescit. *Mercurialis, Comment. in Hippocr. de ratione victus in acut. p. 547.* In hypercatharsi eandem in multa quantitate exhibendam commendat *Fallopius, tract. de med. purg. simpl. c. 30. p. 107.* In hanc rem egregia suppetunt exempla: Vir post vini Canariensis ingurgitationem, incurrit inflationes, anxietates & vomitiones, etiam assumtorum: alius ex vino, sibi ingrato, similiter bilem sinceram ἄνω καὶ κάτω secernit, cum dolore ventris, anxietate & dyspnœa; & tertius, qui ab helleboro albo sumto excruciabatur extremis intestinorum doloribus, dejectionibus & vomitionibus, cum æstuatione interiora excoriante, siti & potus omnimoda denegatione; liberali frigidæ potu sunt servati. *Bonetus, Med. sept. L. III. sect. VII. Cap. 20.*

§. XX.

Hoc idem valet de dysenteria cholerica, in qua potus frigidæ humiditate sua abluit ab omni saburra intestina, diluit acres humores, & ulcera mundat: frigiditate sua dat tonum visceribus, refrigerat jecur, obtundit bilis calorem & acrimoniam, atque intestinorum ulcera adstringit. Confirmant hanc medendi copioso frigidæ potu rationem, *Aetius, Tetrabibl. 3. serm. 1. cap. 45*, Paulus, aliique veteres, & inter recentiores *Amatus Lusitanus, Cent. 2. Curat. 56.* Ast malunt eam restringere nonnulli, ut suscipiatur non nisi in regionibus calidis, & calido anni tempore, itemque ubi materia peccans non multa & copiosa in corpore est, morbusque valde gravis, cum vehemente siti, vel & cum *Celso, L. IV. c. 15.* ubi vetus est malum. Memorabile dysenterici, ita sanati, exemplum legere est apud *Diemerbrokium, in Observat. & curat. medic.*

§. XXI.

§. XXI.

Novum jam est, & cum ordinarie calida jusenla post purgans haustum, ad solvendum hoc, & humores a ventriculo detergendos, sumantur, fere paradoxum, frigidæ aquæ potum salubrem fuisse illi, qui purgans assumserat, ut felicius purgaretur. *Baricelli, hortul. genial. p. 28.* In Pro-Rege Siciliæ ab epota aquæ frigidæ libra una, cum pauco saccharo, nausea & ventriculi morsus statim cessarunt, & purgatio feliciter peracta est. Laudatur a *Mesue*, aqua modice frigida, si non operatur purgans, ob naturæ imbecillitatem aut remissam medicamenti actionem; vehementer autem gelida, si non vacuarit, & molesta excitet symptomata, ad acrimoniam & malignitatem obtundendam. *Primerosius, de vulg. error. L. IV. c. 15. p. 384.* Tuto hæc fiunt in calido ventriculo & ventre licciore: quod si enim ventriculus sit admodum calidus, aut inflammatorio dolore, vel erysipelate incipiente correptus, ab initio convenire frigidæ potum, sentit *Septalius, in Manget. Labyr. med. p. 362.* Naturæ enim calidæ quies & aquæ potus, inquit *Hippocr. de diæt. salubr.* Satis commode ab ineunte ætate potatur aqua, qua hodieque major hominum pars sitim levat & inopia sua feliciores sunt illi, quam nos nostra copia & luxu. In vulgus est notum, plus alio omni potu aquam, ab immoderata caliditate & siccitate ventriculi, aut etiam cum præsentia humoris calidi & sicci, biliosi, salsi, ortam sitim solari frigidam, æstum extinguendo & bilem copia sua subducendo. Facit hoc ubertim hausta, non semel, sed successive. Scribit *Galenus, L. I. acut.* 43. si aqua ad sitim sedandam exhibeatur, tantum

ejus ſumendum, quantum unica inſpiratione æger haurire poteſt; ſi ad extinguendum calorem, ad ægrotantis ſatietatem, ut etiam ait, *9. meth. 8.* idque confertim. Sic *10. meth.* juveni ex ira febricitanti, ſub caniculæ fervoribus, heminas duas aquæ in prima acceſſione dedit. *Primeroſius*, *l. c. p. 470.* De quibus infra.

§. XXII.

Tartareis inſigniter conferre morbis frigidam, & experientia loquitur, & ſuadet ratio. Diluere illam ſalia tartarea, & fluidificare ſerum ſanguinis, deobſtruere vias, & per urinas educere atque alvum impuritates groſſiores, per transſpirationem ſubtiliores, viſcerum quoque tonum corroborare, apertæ eſt veritatis. Hinc ex arthritide nodoſa laborans contractura manuum pedumque, vini loco per decennium bibebat frigidam aquam, & perfecte curabatur. *Poterius, Obſerv. Cent. 3. Cap. 99.* Factitavit hoc alius, qui demum ad ultimam ſenectutem ſine podagra, vitam perduxit. *Trincavellius, de curand. morb. L. XII. c. 2.* Haud procul hinc nonagenarius vivit illuſtris, qui a multis retro annis a podagra miſere tortus, cum nihil aut parum a medicina juvaretur, qua tamen in paroxyſmo abſtinebat, ne naturam turbaret in coctionis & expulſionis negotio, ad diætam tandem converſus, prandebat largiter, cœnabat parce, & bibebat frigidam in menſa, adventante autem ſenectute, cereviſiam ſecundariam, aqua paululum meliorem, ſubinde vini veteris cyathum, & ecce, vitam adhuc degens a podagra liber, tolerabilem agit ſenectutem. Nec eſt, cur pertimeſcant in ſenio poſiti, ob naturæ languorem, refrigerationem ventriculi & viſcerum intolerabilem, cui ſenſim

sim sunt assuefacti, per gradus ad habitum progressi. Sine damno decrepiti sylvicolæ & ruricolæ magno numero, in variis terris, eandem ferunt; & quantum ipsis a potu aquæ decedit, tantum per cibos, quorum sunt avidiores, aqua enim tunc est vorax, accedit caloris. His confisi exemplis, asserere non dubitamus, arthritidis & podagræ medelam alia quauis hactenus cognita, ista quoque lactea, periculi plena, qua lactis saccharum est tutius, longe esse certiorem.

§. XXIII.

Scorbuticorum salutem corporis eadem ratione obtineri posse, in propatulo est. Radicatur in eo rhachitis, infantilis morbus, nomine ex Anglia oriundus, re ipsa diu in Germania, & sic forsitan ejusdem ætatis, deprehensus. In hanc incidebant, scorbuticis parentibus nati, cœptam tertio ætatis anno, frater quinquennis, & soror anno minor, iste gravius, hæc mitius. Spina dorsi instar literæ S inflexa est, ossa artuum incurvata, & prope genu contorta, quasi luxata, pone articulos nodosa, cum eminentia quadam. Venter est prætumidus & caput grande, pectus autem & artus sunt emaciati, ad motum impotentes, & puer velut pedibus captus, gressus facere haud valet; & ut corpore ignavus, ita animo tristis. Spiritus grave olet, juxta ac sudor. Appetitus plerumque nimius, facit eos voraces, afflictos insuper frequentius febri continua, purpura scorbutica & coryza. Diu incassum curati, sub finem æstatis præteritæ, invitantur ad frigidæ fontanæ egregie dulcis, ante Löber portam prosilientis, potum. Bibunt puella mane & a meridie, puer vero saltem mane, balneatur eadem frigida in labro post meridiem, observatis pro more congruis reliquis.

Finita elapso mense cura, capita & ventres detumescunt, moderatior est fames, expeditior corporis motus, & hilarior animus, ipseque puer erigit se sæpius supra pedes, his licet ad incessum uti nequeat. Emendat ergo diluendo, abstergendo & educendo, quamvis salinam dyscrasiam, acidam, salsam, biliosam, fixam & volatilem in corpore, & edulcat, sanguinem eluit atque purificat. Præterita æstate, quædam virgo manuum serpigine afflicta, & benigna purpura sæpe revertente, tribus septimanis methodice bibit aquam dulcem frigidam fontanam, viis alvinis & urinalibus ab inde largiter solutis, & aucto oris sputo insigniter salso, prorsus sana est facta. Ita pariter curantur a salibus & siccitate orta scabies, siccitas, macies & quævis in cute efflorescentiæ, quibus illa deturpatur. Memorabilis quoque hic erit casus: Puer XI. annorum, scorbuticis natus parentibus, per triennium hactenus æstate gravissime afflictabatur capitis dolore, post meridiem exacerbato ad lipothymiam usque, simul vertiginosus & sonitu aurium vexatus, spiritus erat jejunio macer, perstante semper appetitu, inprimis panis domestici nigricantis. Prioribus annis curatus fuerat sero lactis dulci, cum succis herbarum antiscorbuticarum temperatarum expressis. Hoc vero anno his & omnibus aliis irritis, clysteres applicabantur domestici, multaque biliosa & nigricantia per alvum educebantur; tum potabatur mane frigida dulcis, a meridie pediluvia similia frigida adhibebantur, quibus incolumitatem recuperabat. Jungere his addecet pulsationem in dorso arteriarum, semper a causa calida pendentem, qua fœminæ interdum divexantur. Adversus hanc, signis coctionis apparentibus, nisi quid impedit, gelidæ potus confert largior. Sic enim domitum refrigeratumque humorem

rem natura expellet per vomitum, ventris fluorem, aut sudorem, ita ut nulla alia purgatione sæpe sit opus. a *Castro, de Medic. mul. L. II. c. 4.*

§. XXIV.

Jam ad febres, quarum magna est cohors. Vidit, qui in arthritide jugulantem pene sitim caloremque frigida affatim pota deleverit, *Pechlinus, Obs. 33. L. III.* Quod ad nos, aquæ potum maxime probamus in febribus tartareis, & in his, quæ a nostra intemperantia veniunt. *Poterius, de febr. L. II. c. 27.* Confirmat exemplo *Celsus*, quod Cassius, Medicus quidam, febricitanti post ebrietatem, cum siti, aquam frigidam ingesserit, protinusque febrem somno & sudore discusserit. Nec arcendi ab aqua largius sumenda sunt ii, qui ex sincera bile febricitant; ejus enim succi alteratio, ustio est potius, quam putrescentia. In talibus ab attemperatione expectandum auxilium est potius, quam a concoctione. *Valesius, L. IV. Epid.* Abegit eadem quotidianam, in *M. A. N. C. Dec. II. ann. 2. p. 336.* Curavit ingesta ad fastidium, vel ab onere copiosum usque vomitum, tum quartanam, tum tertianam duplicem, a qua hoc modo mercator curatus fuit; & simplicem, in paroxysmo, post signa coctionis, alias incrudat materiam, oppilat splenem, sudorem prohibet; *Forestus, de febribus L. V. Obs. 3.* non tamen in accessionum initio. Juvabit inprimis, si æger est juvenis, biliosus, antea purgatus, vel alias non valde cacochymicus, ad sudorem pronus, verno aut æstivo tempore, in paroxysmo tertianæ, exquisitæ, tertio vel quarto, cum summus calor non nihil decrescere animadvertitur, & licebit ad satietatem bibere, *Riverio* consentiente, in *prax. L. XVII. p. 563.* frigidam cum spiritu vitrioli. *Hœferus, Hercul. med. L. de febribus, C. I. p. 332.*

(o)

p.332. Cum autem tertianarii in quadam epidemica constitutione, frigida & humida tempestate, bile valde refracta & acido exuberante, biberent frigidam, ab hac cacochylia, & tandem cachexia & hydrops succedebant. *Ramazzinus, Oper. 147.*

§. XXV.

Quod ad ardentibus febribus laborantes attinet, liberalissimus aquæ frigidæ potus, in Italia, æstate, cum apparet in urinis coctio, & natura vicisse aliquo modo morbi causam cernitur, sumtus, illico facta multæ bilis flavæ & putridæ evacuatione per vomitum, aut largos sudores, vel utrumque, plurimos servavit. *Smetius, Miscell. med. L. III. p. 161.* Idem fit sæpe per alvum; & nisi talis supervenit excretio, procurari per pharmaca debere, sunt qui consulunt. Hoc etiam scriptum reliquit *Erastus, in explicatione quæst. 2. de purg. med.* Exhibendus itaque ægro juveni, carnoso, sine phlegmone, non in principio, sed febris statu & vigore, robusta natura & visceribus integris; excitaturi & promoturi eo criticam commotionem & expulsionem materiæ morbificæ. Pro re nata, præmissa venæ sectione & minoratione, juvabit certius. Exempla suggerit *Amatus Lusitanus, Cent. I. Curatione 3. & 4. curat. 14.* & *Ballonius, Paradigm. 36.* cuidam chirurgo, cum per dies aliquot, cum summa cutis siccitate & squalore, febris assidua periculum mortis crearet, propinata aqua, quantum ebibere posset, & vestimentis tectu corpus, sudores manaverunt, alvus liberior fuit, & convaluit. Hoc quoque est *Celsi, L. III. c. 7. §. 2.* consilium. An sine tali ad evacuationem adeo notabilem respectu? ceu videtur *Fortis, de febr. Cap. de Colliquat.*, in ardente colliquativa, cujus notæ calor deurens & inexhausta sitis, commendare frigidæ

gidæ potionem, ut remedium princeps, puta, ob summam necessitatem. Id ipsum facit quoque *Rhases*, ut notavit *Savanarolus*, quando aquæ frigidæ usum minus procrastinandum esse monet; licet enim crisis tardetur, mortis tamen periculum averti posse. Nimirum, mori potest æger, ante coctionem & ejus signa colliquatus: præbeatur itaque, sed non adeo copiose, ut possit calorem nativum obruere, ad summum libræ quinque. *Fortis*, *l. c.* Idem tene in synocho non putrida. In synocho autem putrida eo magis sit digesta materia, & morbi status, vel & declinatio. In synocho pestilentiali nullo modo confert. *Forestus*, *de febribus L. IV. Obs. 18. p. 95.* Eadem quoque mens est *Poterii*: in his, quæ cœlitus demittuntur, ut in malignis & pestilentialibus, vinum magis probamus, quod generosius diluatur aqua communis. Ubi anceps est medicus de vino, satius puto, aqua utatur, qua minime lædimur. *Loc. cit. cap. 28.* Jam porro decernendum in lipyria, ante vigorem frigidam non esse dandam, nisi ægro in more positum, bibere eam, & sitim ferre nequeat. In vigore autem semel frigidissimam & multam damus. *Forestus*, *L. II. 260.* In gangræna curanda uti licet aqua pluviali frigida, in potu. *Celsus*, *L. V. Cap. 26. §. 34.* Porrigitur ab initio hecticarum, quando vires sunt firmæ & corpus sanguinis rigatum benignitate. *Heurnius*, *de febribus c. 5.* Nam quando nil in corpore est, quod vim occurrentis aquæ debilitet, damnis augetur. Abesse quoque obstructio & phlegmone debent, & putridus sanguinis status, velut in abscessibus.

§. XXVI.

Quid apud nos hactenus quandoque factum, dicemus

 pau-

paucis. Ante annos aliquot, a vere, per æstatem ad autumni medium, malignæ hic existebant febres, cum & sine exanthematibus, purpuratæ, petechiales, quibus viri ac juvenes præcipue affligebantur, plurimique e plebe. Convalescebant multi, qui frigidam, quantum satis ad sitim contemperandam, quotidie aliquot cantharos hauserant. Fecerunt hoc, prægressa æstate fervida, quidam viri juvenes, purpura cum febri acuta ægrotantes graviter, quibus cerevisiam secundariam, imposito puteali aquæ vase potatorio, egregie refrigeratam bibere, quantum voluerint, concessum erat, summo cum emolumento; optimæ enim & perfectæ per narium hæmorrhagiam & sudores sequebantur suo tempore crises: confessi postmodum, sibi pereundum fuisse, tali vitæ fomento denegato. Purpuram benignam, vertente æstate epidemiam, chronicam, durantem quippe, cum sudoribus, multis septimanis, alebat cerevisia primaria, levabat secundaria, & ipsa frigida. Mirum dictu! cum juvenis literatus, scorbuticus, aëris fervore calefactus, incideret in febrim acutam, cum vehementi capitis dolore & æstu, vigiliis, sicca tussi & summa virium lassitudine, laxativo præmisso, & irritis omnibus bezoardicis, circa undecimum morbi diem, frigidissima aqua, prout tunc e fonte prosiliit, pro lubitu hausta, statim emergebat ex morbo. Lætatus cita hac convalescentia, adhuc eam bibit, calidæ naturæ existens, macilentus. Testatur de se ipso *Schelhammerus, de febr. p.189.* quod frigidam in febri maligna petechiali cum fructu potarit, non hausta ad satietatem & fastidium, sed ad necessitatem. Acute febrientes cum papulis rubris, purpureis, sine cutis elevatione, post unam purgationem, aquam maximis ingerebant poculis, assueti in rure viventes, & curabantur, *Heerius, Obs.5. p.81.* Nec vagabimur extra oleas, dicturi, DOMINO PRÆSIDI in

in usu fuisse, per totum praxeos suæ tempus, in variolis, tam discretis, quam præsertim confluentibus, toto morbi cursu, inprimis apud adultos largius, salivationis promovendæ & contemperandi æstus majoris gratia, frigidam cerevisiam secundariam, ab aqua simplici hic loci parum, & non nisi coctione diversam, aut decoctum avenaceum tenue, ægris propinare, quæ cum diæta excarni & aëre conclavis tepido, insigniter profuerunt.

§. XXVII.

Largum frigidæ potum in febribus, commendat plurimum *Galenus*, *Comment. de vict. ac. text. 48. Comment. 3. text. 40. Comment. 4. text. 12. meth. L. 10. c. 10.* item, *Avicenna*, *Paulus Aëtius*, *Averrhoës & plures veteres*. Neque facile metuitur ullum damnum ex subita alteratione, scilicet excessive corporis caloris repentina refrigeratione potu aquæ gelidæ, quam alterationem oporteret esse successivam, cum extremis morbis remedia extrema sint adhibenda, *Hippocr. Aph. 6. L. I.* siquidem in morbis acutis mitiora usurpare velle, nihil aliud esset, quam tempus perdere, ut docet *Galenus, L. V. Meth.* Contra largum frigidæ, qua sanguis eluatur, potum in ardentibus, insurgit *Pechlinus*, *de purgant. p. 267.* eundemque ægros non solum in magnas & fatales sæpe diarrhæas præcipitare autumat; verum effervescentiam quoque intestinalem effœtam, & humidi defectu tardius procedentem, inflammare denuo & accendere, non aliter ac calcis vivæ ebullitionem aquæ redintegret mixtura. Ast hoc cum non suffulciat ille experientia, curamus parum. Frigida larga humidi defectum resarciet semper, ut ebullitio talis non sit metuenda. Dilucidatur ex hoc veterum sententia, frigidam facile bilescere, nimirum, in ventriculo calido. Id fit, quando pauca in hypochondriis permanens, diluit con-

 cen-

centratam bilem, quæ ita veluti pabuli copiam adepta augetur, & ab ardente ventriculo, aut ipso corpore incalescens, plus calefaciet, & corrumpitur, ut loquitur *Gabelchoverus*, *Centur.V. Observ. 26.* Ab ipsa autem huic periculo prospectum est natura, vehementi siti, qua potus, copia sua refrigerans, desideratur.

§. XXVIII.

Hæc sunt, quæ circa frigidæ potum erant admonenda; qui ut optime succedat, requiritur porro corpus calidum, juvenile, virile, sanguineum, biliosum, carnosum, robustum, firmis visceribus; tempus anni & aëris calidum, qui quanto est debilior, tanto frigidæ gradus sit remissior, & contra. Plura vide passim supra. Desideratur plerumque, quæ inferior nivis frigiditate, & qualis e fontibus perpetuo fluentibus prosilit aqua, sumenda pro tolerantia, atque paulatim. Ad frigiditatis debitum & altiorem, si eo destitueretur, gradum effertur infrigidatione per aërem ventosum, aquam putealem, nivem & glaciem, quæ in fossis subterraneis ad æstatem usque conservatur, aut per nitrum vasi appositum, profundas cellas, atque lapides duriores, ab aqua refrigeratos, & potui injectos.

Ita medicum frigoris usum practicum tribus dissertationibus, de balneis aquæ dulcis, clysteribus atque potibus frigidis ea, qua par est, brevitate & perspicuitate pertractavimus, addituri imposterum plura, quæ experientia, magistra rerum optima, offeret vel nova, vel jamdum dicta plenius confirmabit.

TANTUM.